

Sextus gradus diſcordiam, bellum, vaſtationem, deſiderium, per ſpiritum humanum diſſeminare dicitur, atque horum Princeps in Apocalypſi vocatur *Apollyon* & à Hebræis *Abaddon*, hoc eſt, exterminans & vaſtans. Iſtius ordinis erat etiam Angelus ille ſtans inter cælum & terram, quem miſit Iehoua ad perdendam & deſtruendam Ieruſalem 1. Chr. 21. 15. Et ille qui occidit omnem Valentem robore in Caſtris regis Aſyria, 2. Chr. 32.

Septimus lolet criminari, explorare atque accuſare ſpiritus coram conſpectu Iehouæ: Hunc magi *Aſtaroth*, hoc eſt, exploratorem & Græce *Diabolum* vocant, hoc eſt, criminatorem & calumniatorem.

Vltimus tentationibus & inſidiis ſpiritum humanum fallere, & in errorem ac deſperationem inducere tentat, atque iſtiusmodi dæmonum Princeps dicitur eſſe *Mammon*, quem interpretantur Cupiditatem.

*De Dæmonibus circa ſpiritum & membra Macrocoſmi corporea  
male verſantibus.*

Voluntate diuina Dæmones agunt quandoque maligniter circa cor- pora & ſpiritus macrocoſmi ſub- lunaris, vnde in	Aere denſo fit	{ Inflammatio à preſtere & coruſca- tione } Perturbatio à ventoso turbine { Caligo à nebulis & halitibus denſis { Rubedo vespertina &c.
	Nube	{ Ignis exardens, { Carbones & lapilli accenſi, { Caligo tenebroſa, { Grando, Nix, { Tonitru
	Mari	{ Aquarum Perturbatio { Fluctuum exaltatio & depreſſio { Spiritus interni agitatio
	Terra	{ Tremor & concuſſio. { Incendium & deſtructio ab igne { cælitus demiſſo. { Hiatus & fiſſura, { Inundatio & ſubmerſio, { Ariditas & ſterilitas.

Agnoscunt Theologorum ſcholæ ſextum Cacodæmonum gradum, iuxta ipſorum diuiſionem eſſe eorum, qui ſunt poteſtates aeræ, licet nos includamus omnes prædictorum graduum in hunc ordinem, quoniam non eſt nobis animus de alia ſpecie ſeparata determinare, quæ ſub aliquo prædictorū ventorū ſeu præfectuum mundi Cardinalium ſeu 4. Elementorū nō comprehendatur: At quoniā dæmones hi omnes ſunt poteſtates ipſius aeris ſeu ſpiritus ſublunares, ideo & ſub eorū imperio reliquos cacodæmones, ſiue circa hominē ſiue rem quampiam in mundo aliam verſentur, comprehendere dicimus. Agnoſcit ergo ipſa Theologorum ſchola aeræ poteſtates le miſcere tonitruis, fulminibus, & fulguri, aerem corrumpentes, peſtilentias & alia mala inducentes. Atque horum Principes videtur Apocalypſis affirmare eſſe 4. illos angelos, tenentes quatuor ventos, in quorum poteſtate eſt nocere mari & terræ, quorum Principem faciunt *Meririm*, id eſt, ſpiritum æſtuantem ſeu dæmonem in Meridie furentem. At Paulus eum vocat *Principem poteſtatis aeris huius*, qui operatur in filios diſſidentie, Et quidam vir ſapiens in myſteriis Dei & naturæ profundus, in tractatu ſuo De Reuelatione maięſtatis diuinæ in hæc verba loquitur: *Cum aere etiam ſimul creauit Deus verbo ſuo angelos, & ſpiritus, qui in aere circa directionem tempeſtatum tam malarum quam bonarum, pluuia, niuis, grandinis, pruina, nubium, fulguris, fulminis, tonitru, lapidis ceraunei, ignis, chaſmatum, cometarum, aquarum inundationum, caloris, frigoris, humiditatis, ſiccitatis, & aliorum id genus quam plurimorum munus ſuum ac officium obeunt & exequentur, atque hoc ipſum quoque etiamnum hodie fit in verbo eius. De hiſce omnibus ſeculares illi ſapientes ſeu philoſophi libros ſibi ipſis conſcribunt, mire ineptos, in quibus ne punctum quidem vnum, nedum integra litera vera eſt, ſed quicquid eſt cerebris eorum in calamus atq; in chartam dimanauit, hoc tantum in illis legitur, quod nihil prorsus eſt, quam purum putum mendacium: quin imo etiam ipſe ſpiritus oris in ſapientibus iſtis omnino mendax & falſus eſt, volunt illi tamen ſapientes vocari: fit autem id vnice inde, quod neq; Deum neq; ſacroſanctum eius verbum cognoscunt &c. Hæc ille.*